



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. I. Consutatur lansenii hæresis circa impossibilitatem servandi
mandata Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPV TATIO CXVII.

Sintne Mandata Dei observata impossibilia.

ACTENVS egimus cum Orthodoxis, qui quamvis, ut vidimus, circa gratiam ad Præceptorum observationem necessariam diversâ incedant viâ, & suas quisque partes acriter tueatur, id tamen salvâ semper Fide, debitorumque Ecclesie & ejus sanctionibus obsequio præstant, utpote quam sibi regulam statuunt, atque ad illius scita, sua omnia explorant, nec proprii sensus aded tenaces sunt, quin eum relinquere sint parati, si ab hac normâ tantillum discrepare animadvertant. Nunc ergo cum hæreticis, eorumque fautoribus agendum.

SECTIO PRIMA.

Confutatur Iansenii hæresis circa impossibilitatem servandi Mandata Dei.

I.
Iansenii dogma quo asserit mandata Dei esse impossibilia.



ANSENIUS itaque omni datâ occasione hæreticorum partes quantum potest promovens, immane illud, Deoque maxime contumeliosum dogma, præcepta scilicet esse impossibilia, pro viribus stabilire conatur. Docet itaque Decem ejusmodi mandata imponere, quibus adimplendis homines planè sunt impares, habentque ea adimplendi impotentiam. Non tamen hoc ipse primus asseruit, quamvis à se inventum esse gloriatur, sed ex Lutheri, Calvinii, aliorumque hæreticorum sententiâ, ut alia pleraque desumpsit, addiditque homines mandata hæc non observando, quæ tamen observare nequeunt, & peccare, & propter illorum transgressionem æternis à Deo suppliciiis adjudicari.

II.
Deo maxime injuriosum esse, summamque ejus bonitatem & clementiam indignissimum? Si enim homo quispiam hujusmodi aliquid præciperet, ut scilicet quis humi stans cælum manu tangat, ingentem montem in locum distitum momento transferat, & id genus alia, ni faciat, vincula, verbera, eculcum, & acerbissima quæque tormenta, mortemque ipsam denunciet; quis, inquam, hunc non barbarum planè, & immanem tyrannum appellet? Hoc ergo quicquam de supremo Numine affirmandum existimet? Quis tam tetram labem summæ ejus benignitati injustam ferat?

III.
Ex adhortationibus & premiis ostenditur posse homines legem à Deo latam servare.

Deinde Deus adhortationibus variis, propositisque etiam præmiis ad virtutis exercitationem, præceptaque ac legem à se latam servandam homines invitât; ergo in eorum potestate est hæc præstare: si enim inter homines orator aliquis ad id summâ contentione suaderet, quod sciret ab auditoribus fieri non posse, imprudentissimè agere, & parum sanæ mentis ab omnibus censeretur: furdo enim canit, qui consilio variisque adductis rationibus ad id aliquem impellere nititur, quod

præstandi non habet facultatem. Ad quæ omnia appositissimè S. Augustinus libro de Fide contra Manichæos, cap. 10. Quis, inquit, non clamat stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere. Sanctus etiam Basiliius in regulis brevioribus, de Deo loquens: Sine dubio, inquit, non præcepisset hoc, qui bonus & justus est, nisi etiam facultatem, quia id faceremus, esset largitus. Quod etiam sæpè apud alios Patres invenitur.

Nec satisfacit quod ex Calvino, Beza, & aliis hæreticis respondet Iansenius, quantumvis scilicet homines observationi mandatorum sint impares, omnique etiam gratiâ qua id præstent destituti, eorum tamen transgressionem posse iis ad culpam & pœnam imputari, quia nimirum hæc iis impotentia ex originali peccato provenit, quo infecti viribus ad mandatorum observationem necessariis orbiati sunt, nec minore necessitate in peccata præcipites ruunt, quam Sancti ad amorem Dei rapiuntur. Sed contra: undecunque enim proveniat, si revera sit impotentia, necessitasque præcepta transgrediendi, ipso facto tollitur potestas hæc in re peccandi. Hoc, ut supra vidimus Disp. 85. sect. 7. apertè docet S. Augustinus to. 1. lib. 3. de Libero arbitrio, cap. 18. Quæcumque, inquit, ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei cedatur. Idemque toties tradit S. Doctor, ut mirum sit ex hæreticis quemquam, aut eorum sequacibus, posse contrarium nobis veluti mentem S. Augustini obrudere: & quæ illi ex sancto hoc Doctore pro se afferunt, facillimam habent explicationem.

Quam verò inutilis sit illa Calvinii & Iansenii responsio sic ulterius ostendo: ut enim juxta hos impotentia ad servanda mandata, seu gratiâ ad hunc effectum sufficientis denegatio, & ut ita dicam morbi mentis ex Adami peccato ortum duxerunt, ita & morbi corporis, cæcitas, surditas, &c. Sicut ergo Deus homines sub gravissimis pœnis jubet servare mandata, quæ tamen secundum ipsos servandi non habent facultatem, ita & cæco præcipere posset ut videat, muto ut loquatur, claudo ut rectâ incedat, imò ut qui nullos habet pedes, ambulet, eosque si hæc non præstent, acerbissimis torquere suppliciiis, ipsisque aded inferni cruciatibus

S. Augustinus.

S. Basiliius.

IV.

Undecunque proveniat impotentia, tollitur potestatem peccandi.

Docet S. Augustinus.

Undecunque proveniat impotentia, tollitur potestatem peccandi.

V.

Undecunque proveniat impotentia, tollitur potestatem peccandi.

cruciatibus aeternum addicere. Quod quis non videt quam sit ab omni ratione alienum.

VI. Duplex circa mandatorum observationem impotentia.

Perfecte vel le servare mandata nemo potest sine gratia.

Eodem recidit utraque Jansenii responsio.

Respondet Jansenius duplicem dari impotentiam, altera est quam, ut maxime velit quis, supplere nequit, qualis est ut claudus recte incedat, vel ut qui nullos habet pedes ambulet. Altera vero impotentia, inquit, est ex defectu volitionis, quae si adesset quanta esse debet, fieret praecipuum. Hanc itaque impotentiam ait habere homines circa observationem mandatorum Dei, quae nimirum si perfecte servare vellent, servarent. Sed apertissime constat quam istud sit ridiculum: hoc ipsum enim velle perfecte servare mandata non possunt homines sine gratia sufficiente, quam cum iuxta Jansenium in hoc statu naturae lapsae non habeant, non magis elicere actum illum perfecte volendi servare mandata possunt, quam caecus videre, aut qui caret pedibus ambulare. Hunc ergo actum volitionis hominibus praecipere sine auxilio ad illum eliciendum necessario, perinde est ac si juberet hominem sine pedibus currere, aut sine lingua loqui: sicque in idem recidit utraque ejus responsio; non enim possunt homines observare mandata, nisi hoc perfecte velint, sed habent impotentiam hoc perfecte volendi; ergo & mandata observandi. Inanis itaque est haec duplicis impotentiae distinctio.

SECTIO SECUNDA.

Rejicitur ulterius immane illud Jansenii placitum de mandatis impossibilibus.

I. In hac de mandatis impossibilibus dogma acerrime invenitur Patres.

Nihil verò ad pronuntiati hujus sceditatem cognoscendam accommodatus, quam ut quid de eo senserint Patres audiamus: quos inter, quò doctior quis, quò sanctior, quò honoris Dei studiosior, eò vehementius in illud invehitur, dictisque acrioribus insectatur. S. Augustinus, ut Sectione praecedente, num. 3. vidimus, illud stultum appellat, S. Basilius Oratione in Attende tibi impium; impium est, inquit, asserere Spiritus Sancti praecipua esse observata impossibilia. Alii caecam vestigiam, & profanam temeritatem vocant; omnes denique execrantur ut dictum divinae Sapientiae, Bonitati, & Justitiae contrarium: imò si quis Deum impossibile aliquid homini praecipere diceret, blasphemiae loco habebant, & in ejus caput anathema jure pronuntiandum arbitrabantur. Quantum hi Patres, Orbis lumina à Jansenii mente discrepabant!

II. Antiquitatis ergo vox est, Deum nec praecipere impossibilia, nec praecipere posse: est inquam dogma à Patribus longè sibi invicem serie succedentibus, ac veneranda illà saeculorum omnium canitie veluti oraculum semper habitum, in eoque firmi adeo fixique erant Universi, ut monstri instar censeretur si contrarium quis vel leviter insinuaret. Quid nunc dicerent prisci illi Ecclesiae

proceres Augustinus, Basilius & alii, si adhuc in terris degerent, viderentque sui ordinis hominem, sacra nimirum insula insignitum, eodemque cum ipsis loco constitutum; si inquam eum viderent dirum hoc effatum, quod ipsi blasphemiae loco habebant, mordicus defendentem, junctumque haereticis omnes in hoc ingenii nervos intendere, ut illud probet & illustret, ac pro vero & catholico dogmate mortalibus obtudat.

Jam verò, quis Ecclesiae, quae columna est & firmamentum veritatis, hac in re sensus sit, nobis in generali totius Orbis consensu traditus, videamus. Hoc ergo pronuntiatum, Deum hominibus praecipere impossibilia; atrox adeo & barbarum Patribus Tridenti congregatis visum est, ut quisquis hoc dixerit, eum à fidelium communione rescandum existimaverint. Unde sess. 6. can. 18. sic habetur: Si quis dixerit Dei praecepta homini, etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; Anathema sit. Eadem etiam sessione, capite undecimo haec veritas fusiùs declaratur his verbis: Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet: Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. Quibus Concilii verbis clarissimum est, proscriptum esse cum suo dogmate Jansenium.

Accedit Summorum Pontificum auctoritas, nam Pius V. & Gregorius XIII. hanc Michaelis Baïi propositionem, ordine 54. definitiva hac sententia, Deum homini nihil impossibile praecipisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit, damnant: quae propositio cum etiam sit Jansenii, & eadem utriusque hac in re doctrina, Deum scilicet homini in naturà lapsa praecipere impossibilia, in Baio damnatur Jansenius. Hic verò insuper Bullà peculiariter in eum ab Innocentio X. edita condemnatur ob hunc etiam errorem, qui in primà ex quinque illis propositionibus continetur. Pontificis verba sunt: Primam praedictarum propositionum: Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia deest quoque illis gratia, quae possibilia fiunt: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & haereticam declaramus, & uti talem damnamus.

Facessat ergo impium hoc, Deoque injuriosissimum dogma, praecipua scilicet ab eo hominibus imposita, esse observata impossibilia, quod ita vel ipso lumine rationis constat esse falsum, ut non nisi reclamante naturà hoc affirmare quisquam possit. Haec pro instituto nostro sufficient: qui hanc blasphemiam pluribus confutatam videre vult, consulat Bellarminum & alios, qui Fidei causam contra hujus temporis haereticos defendendam susceperunt: qui enim Lutherum, Calvinum, Bezam & reliquos impugnat, eadem opera impugnat Jansenium, qui sua prope omnia ex eorum scriptis desumpsit, & hoc nomine orthodoxorum omnium jure in se calamos exacuit.

Hoc Jansenii effatum Patres tanquam blasphemum execrabantur.

III. Quis Ecclesiae de impossibilitate servanda mandata sentiat.

Concilium Tridentinum sess. 6. can. 18. & cap. 11.

IV. A Summis Pontificibus damnatae propositio asserens Dei praecepta esse impossibilia.

Jansenii error ab Innocentio X. damnatur.

V. Qui Lutherum, Calvinum, & alios haereticos impugnat, impugnat Jansenium.

Orthodoxorum omnium in se calamos jure exacuit Jansenius.